

Part of a Letter to one of the Secr. of the R. Society, from the Learned Dr Salomon Reiselius, Chief Physician to the Duke of Wirtemberg; concerning the Siphon Wirtembergicus Stutgardiæ. 8. Oct. S. V. 1685.

STATIM atque vestras 4 Junii datas vidit Serenissimus Princeps meus; in quibus communicas Vestra Experimenta in Siphone Vitreo decem pedum; scire desideras quantum temporis sit duraturus Siphonis fluxus nostri; das consilium pro extrahendis bullulis in Siphone collectis, quæ fluxum possint sufflaminare; speras Serenissimum Ducem passurum, ut & vobis & Orbis toti exponatur artificium Machinæ suæ: Jussit Typis manifestare secretam sui Siphonis structuram, in primis postquam paulo ante rescivisset Socium aliquem vestrum ex mandato Societatis Regiae imitatum esse eosdem effectus, & Phænomena sui Siphonis. Quod hisce jam Nundinis præteritis *Francofurtensibus* factum esset, nisi prius voluisse in altitudinem & amplitudinem insignem & satis utilem elevare; quandoquidem à Vidua Jordani & alio Oculato Teste audivi, ipsum ad quinquaginta quatuor pedes in domo sua exaltasse cum fluxu & refluxu, cuius Vestigia ipse observavi, cum altitudinem metirer; quam vero altitudinem transcendere hactenus propter varia impedimenta & negotia nondum fuit concessum.

Ne vero diutius Serenissimæ Societatis desiderium frustrarer, aut morarer, fateor excellentissimi Dni. Dris. Papin Siphonem ipsissimum esse *Wirtembergicum*, etiam cum recurvatione pedum factum; neque aliud esse mysterium ut Inventor ipse scripsit, in summitate, quam quod per infundibulum debeat impleri, sine qua implectione non potest transfluere. Quod proxime Typis amplius



amplius confirmabitur, quia longum nimis esset & tædiosum hic omnia scribere.

Ast ut in præsenti ostendam me hactenus nonnihil laborasse circa Siphonis effectus ; ecce inter Experimentandum, hoc quoque mihi occurrit ; ut didicerim, quomodo in Vertice vel ad latera possit effluere ; quod hactenus multi promiserent, vix quisquam effectit ; sed quod Principi meo serenissimo ostendi, & promittere audeo ; me in quavis possibili Elevatione & transfluxu velle xehaurire aquam in Summitate vel ad latera, in posterum aperiam, quando per plura experimenta tam altitudinis quam continuationis certior redditus fuero.

Quid apud vos hactenus sit tentatum, & quousque sit progressus D^r. *Papin*, expecto à tua liberalitate : Interim per compendii modum vidi *Papiniani* Siphonis figuram & Descriptionem in mense Mayo Novellarum Reip. Literariæ *Amsterodami* excusarum, cui gratulor de tam felici imitamine, &c.